



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Imago.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

caminosa, tunc nullum peccatum committitur, si verò detur illa actualis voluntas conditionata occidendi hostem, si fortè adesset, proculdubio hic actus erit peccaminosus; verùm si cum hoc actu interno peccaminoso jungatur hostis occisio, irregularitas non incurritur, nec excommunication, sit hostis si clericus, nec onus restitutionis; ratio est, quia actus ille externus non causatur à voluntate illa conditionata peccaminosa, sed à voluntate absoluta occidendi feram, unde ille actus externus non contrahit malitiam ab eo interno, à quo imperatur; cum autem ad incurrendam irregularitatem, excommunicationem, ac onus restitutionis requiratur actus externus graviter peccaminosus, atque adeò ortus ab interno graviter culpabili, idcirco in hoc casu istæ pœnæ non incuruntur.

I M A G O.

343. **Q**Uæritur. An nefas sit Christiano collocare in templo simulacrum Dei Patris sedentis?

Resp. Propositio affirmativa revocans errorem, & hæresim Iconomachorum, est sacrarum Imaginum inimica, idcirco tanquam hæretica damnatur ab Alexandro VIII. cum propof. 26. ratio est, quia Deus frequenter sub figura corporea apparuit, sic *Genes. 3. visus est deambulans ad auram, & Exod. 33. loquens cum Moyse; similiter Pater æternus in figura fœnis sedentis apparuit, Dan. 7. ubi dicitur; aspiciebam, donec Throni positi sunt, & antiquus dierum sedet: ergo simulacrum Dei Patris sedentis exprimens*

hanc Dei apparitionem non est indignum Deo, atque adeò potest in templo christiano collocari ad Deum in illa figura colendum, qua ejus æternitas, Majestas, & immutabilitas adumbrantur: Neque obstat, quod Deus ut potè incorporeus simulacro corporeo non exprimat ad vivum, nam constat, ex Dei imperio *Exod. 25.* Angelos sculpta similitudine expressos fuisse, ergo ex hoc præcisè, quod Deus fit incorporeus, non sequitur, non posse Dei imaginem depingi, quæ solùm ferviat ad excitandam fidem, & devotionem.

344. Ex quibus colligitur 1. Posse etiam in christiano templo Spiritum Sanctum sub columbæ specie adumbrari, nam *Matth. 3.* *Spiritus Sanctus apparuit sub Columba specie;* dicitur enim: *Ecce aperti sunt ei Cœli, & vidi spiritum Dei descendentem sicut Columbam, & venientem super se, & hujusmodi imago est ab Ecclesia approbata.*

345. Colligitur 2. Posse similiter Trinitatis imaginem juxta morem in Ecclesia receptum etiam in templis collocari, quandoquidem etiam Trinitas, ut notat *D. August. lib. 2. de Trinitate cap. 11.* sub specie visibili se dedit conspiciendam Abramo *Genes. 18.* quando tres vidit, & unum adoravit; Cum autem jam usus invaluerit, & ubique in Ecclesiis, etiam Romæ, imago Dei Patris sedentis, & Spiritus Sancti sub specie Columbæ, nec non imago Trinitatis sub figura senis, Christi Domini, & Columbæ exprimat, non nisi temerè damnantur; multæ enim inde utilitates proveniunt, & debitus Cultus Deo, & Trinitati in iis exhibetur per adorationem relativam, qua ille honor, & Cultus non

sistunt in imaginibus, sed referentur ad exemplaria, quæ repræsentant.

346. Colligitur 3. Imagines, ac simulacra eodem cultu adorari, ac prototypum, & cum protoypo simul coadorari, ita ut adoratio absolutè, & ratione sui feratur ad prototypum, & solùm respectivè ad imaginem; propterea imago Sanctorum adoratur adoratione Dulciæ propria fervorum Dei; imago B. M. V. adoratione Hyperdulciæ, quia Sanctissima Virgo servis Dei longissimè præstat; imago Christi adoratione patriæ debita Divinitati, cum in Christo idem sit utriusque naturæ divinæ, & humanæ suppositum, ad quod indivisibiliter dirigitur adoratio; Crux etiam adoratione patriæ adoratur, quia Crucifixum exprimit, tanquam signum divini sui erga homines amoris, ac triumphi de peccato, ac morte reportati.

347. Colligitur ultimo, quòd dictum est, de imaginibus, & simulacris, dicendum pariter esse de sacris Reliquiis, quæ pariter venerandæ sunt cultu consono Personæ, quam repræsentant, ut constat, ex *Trident. Sess. 23. cap. 3.*

INDULGENTIA.

348. **Q**Uæritur. An indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ?

Resp. Opinionem affirmativam esse expressè ad Alexandro VII. damnatam cum propos. 37. & ab Innocentio XI. in decreto de apocryphis indulgentiis declarante indulgentias concessas ante *Breve Pauli V. incip. Romanus Pontifex &c. editum die 23. Maii*